



**Bellum Sacrum Ecclesiæ Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de
Leodii, 1685**

§. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

NUMERUS SECUNDUS.

Oportet Principes Christianos unitis
armis præliari cum letitiâ, prælium
Christi contra inimicos Ecclesie,
nec ulli fas est juvare hæreticos re-
belles contra legitimum Principem.

§. I.

A Gite ergo Principes generosi,
pergit magnis animis, opus fe-
licibus adeò auspiciis cœptum
conficite, paribus studiis rebellem Cal-
vini hæresim penè avulsam stirpitus
ubilibet eradicate: quare procul absit à
Christiano fidelium pectore, ut hære-
ticos contra orthodoxum suum Prin-
cipem rebellantes, adjuvare aut fovere
satagat. Qui enim hæreticos juvat, hæ-
resim juvat & propugnat, ipsamque
Christi fidem & Ecclesiam oppugnat.
Qui rebelles juvat, rebellionem juvat
& propugnat: quo circa justo Dei ju-
dicio reddetur ei talio, ut in quo pec-
cavit, in eodem puniatur, & ab hære-
tis bello à subditis rebellione exagi-
tetur. Sapienter Thucidides Lib. I.

Nullus, inquit, à suis subditis justè puniendis arcendus est. & qui id facit parrem in se legem statuit, ne & ipse suos puniat delinquentes. Ita gravem non tantum censuram sed & vindictam Dei subiit Josaphat pius alioqui Rex Iuda, quando oraculo Jehu castigatus audivit: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiam jungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eò quod abstuleris lucos de terrâ Iuda, & paraveris cor tuum ut requireres Dominum.* 2. Paral. c. 19. Graviorem verò excepit ab Eliezer Prophetā in eum detonante, 2. Paral. 20. *Quia habuisti fædus cum Ocoziā, percussit Dominus operatua, contriteq; sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* Et tamen Josaphat Ocoziam adjuverat non in impietate, sed in re politica dumtaxat, nimirum ad navigandum in Tharsis. Porrò verissimum est istud, licet non nullis paradoxum, quamobrem sapientes Consiliarii hoc suis Principibus instillant principium: *Ut tuum regnum firmes & amplifices, omni studio cole pacem & fædus cum vicinis Christianis*

*Principibus, horum enim amicitia tibi
erit murus & antimurale. Nam ut ait
Rex sapientissimus, Prover. 18. Frater
qui adjuvatur a fratre, quasi civitas
firma. Quin & Atticus Orator, Preci-
puum, ait, boni Principis opus est, ami-
cos parare, nullum enim majus boni im-
perii instrumentum, quam boni amici.*

*Audiant Christiani saluberrimum
Anchise apud Virgilium, Romanos a
civilibus bellis dehortantis consilium:
Ne, quæso, ne tata animis assuecite bella,
Neu patriæ validas in viscera vertite
vires.*

*Christiani unum Deum Patrem om-
nium invocant: En unum Christum
omnium Salvatorem credunt, uno eo-
demque Baptismate ad eandem vitam
æternam regenerati sunt in visceribus
eiusdem Ecclesiæ, quam ut matrem
colere & diligere debent, & se mutuo
ut fratres: si in illis est vel minima
scintilla charitatis, junctis animis &
armis communem Christiani nominis
hostem oppugnant, haud dubie debet
labunt. Deus exercitum magnificus
in sanctitate, Principibus sibi fidelibus
facit mirabilia magna solus, cui proinde,*

tota Germania , tota Gallia , tota
Polonia , imò totus Orbis Christianus ,
ob tantas tamque recentes victorias
cum gratiarum actione Caticum Moy-
sis concinat. Cantemus Domino , glo-
riosè enim magnificatus est , equum &
ascensorem projicit in mare . *Exod. 15.*

§. II.

EIa Sanctissima Trinitas ! tribus
virtutis tuæ lanceis , tuâ inquam
potentiâ , sapientiâ , & gratiâ , trium
hostium tuorum , pariter ac Prophetar-
um , & Apostolorum , ac totius Ec-
clesiæ tuæ militantis ; videlicet Sar-
acenorum , Hæreticorum , & Schisma-
ticorum mentes , cordaque feri & sau-
cia ; ut omnes fese tibi Deo uni trino
subdant , te cognoscant , adorent , cre-
dant , ament & glorificant : psallentes
nobiscum in unum , Gloria Patri &
Filio , & Spiritui Sancto : Sicut erat
in principio & nunc & semper , & in
sæcula sæculorum , Amen . Tunc tuæ
Divinæ Majestati & clementiæ , verè
& exultanter omnium gentium jubilis
illud regii Vatis oraculum jubilabimus .

B 3